



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 30. Bonifacii exactiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

dentibus quoque sexcentis equitibus, quos Bonifacius ei in auxilium submiserat, marte tam secundo pugnavit, ut primo urbem, dein totum Neapolis regnum suo subjiceret imperio. Itaque victore Ladislao Clementis res ruere, & Bonifacii crescere cæperunt, quem Ludovicus Andegavenfis certe multis calamitatibus oppressisset, si regni Neapolitani dominium servasset.

§. XXX.

Bonifacii exactiones.

Pontifex Ladislaum Regem defensus, immodica tributa, ac vectigalia imperabat, inde vero sibi ipsi ingentem conciliavit invidiam, convertit quoque in hosce usus notabilem eleemosynarum partem, quas exteri occasione jubilæi tunc Romæ celebrati Ecclesiis obtulerant; quippe ad diversas Regiones mittebantur quæstores, qui plus offerentibus indulgentias vendebant, & seposito Canonum pœnitentialium præscripto,
datis

datis pecuniis, a maximis quibusvis peccatis absolutionem passim impertiebantur (*). Imperavit insuper Cardinali Florentino, ut Clericos æque ac Laicos Regni Neapolitani, juxta constitutionem Ladislai, ad præstationem unius aurei in familias singulas durante bello cogeret. Aliis duobus Cardinalibus injunxit, ut plures Ecclesiarum, & Monasteriorum terras alienarent, atque non pauca oppida, & arces ad Ecclesiam Romanam spectantes nobilibus viris oppignorarent, quæ causa fuit multorum malorum in Ecclesia.

§. XXXI.

(*) *Auctorum nullus hancce indulgentiarum inundationem huic Pontifici, bene tamen collectorum avaritiæ imponit, ita Chron. magn. Belg. in Bonifac. IX. ait, non concedebantur indulgentiæ nisi qui manus adjutrices porrigerent, & Collectores Pontificii tertiam oblationum partem sibi retinebant. Ipse quoque Platina testatur Bonifacium hæc simoniæ vitia sæpius revocare conatum fuisse, ipsosque Collectores istos tam a Deo, quam a Bonifacio severe fuisse punitos, Niemus testatur.*

Hist. Ecclesiast. Tom. XXV. i